

2173

C O D I C E S

2174

dux ipse de genibus precabundus conspicitur. Saepe etiam occurrit *mibi famulo tuo F. me famulum tuum F.* &c. Ultimae sunt Preces festae secundum ordinem Mensium et *Romanam et Pragensem Rubricam*, quo loco *Pragensem* notari conjicio, quod Archidux junior in Patris familia saepius *Pragae* ageret, ibique Preces hae primum scriberentur; nam in praesenti Exemplo jam virili forma depictus est. Istud porro scriptum esse labascente jam Patris valetudine, argumento est Oratio fol. 215. *pro infirmo nostro Imperatore Ferdinando*. Quodsi Pieturae artificium Scripturae elegantiae aequae responderet, non dubitarem totum Codiculum referre ad *Hoefnagelium*, cujus splendidissimum *Missale* hoc *Vol.* retuli.

DCCCCV.

C. 946

Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 347. 4. min. luculente et eleganter perscriptus, literis initiorum pulcre deauratis, depictisque, tum sacris Iconibus ultra XL. partim integram, partim mediam paginam occupantibus exornatus, quondamque *Halensis* Parthenonis in *Tyroli*, Liber *Precum* est hunc in modum coaptatus: Praeit *Calendarium* adpiētis, ut solet, laboribus mensuris, et Signis *Zodiaci*, ad quae id singulare, quod Signo cuiusvis addita sit *Hominis* nuda figura, quae a plerisque illis animalibus, puta *Piscibus*, *Ariete* &c. quin et *Geminis* dire tractatur. XII. kal-

Mart. adscriptum: *Adam* hic peccavit. Ceterum multa SS. nomina primae manus *Galliam* respiciunt; infarcta vero a secunda *Translatio* *Erici*, *Ansgarius*, *Sigfridus*, *Ericus*, *Eschillus*, *Botolphus*, *Brigittae* *Obitus*, *Botwidus*, *Olaus*, et *Brigittae* *Canonizatio* *Suecum* subparem possessorem arguunt, ut adeo *Codex* hic fortassis in *Christinae* Reginae comitatu delatus in *Tyroli* fuerit. Initium ei dat *Psalterium*, inter cujus picturas memorabilis est illa *Psalmo* XIII. *Dixit Insipiens* &c. praefixa fol. 65. *Insipientis* Deo e nube prominulo et minanti dextra fustem intentantis, sinistra, nescio quid, lapidis instar stringentis, et circum pedes a canibus impetiti; item illa fol. 96. p. 2. *Davidis* feriem tintinnabulorum 7. gemino malleolo percutientis. A fol. 165. p. 2. sequuntur reliqua *Cantica* *Biblica* cum SS. *Litaniis*, *Matutinum* officium et *Laudes* de *B. V. Maria*, *Commemorationes* de *Trinitate*, *S. Spiritu*, *Cruce*, et variis *Sanctis*, quae *Memorie* five *Istorie* inscribuntur, et *Icones* praefixas habent, reliquae *Horae* de *Beata*, de *Passione* *Domini*, de *S. Spiritu*, *Psalmi* *Poenitentiales*, *Officium* *Defunctorum*, *Horae* de *Trinitate*, et de *S. Anna*. Haec pietatis exercitia in usum Reginae cujusdam descripta fuisse, credibile mihi facit *Icon* quinquies repetita *Feminae* coronatae eodem habitu et vestitus colore coram Deo, aut *B. V.* genuflexae, quae cum semper tapeti caeruleo liliis aureis confito incumbat, semel

2175

LITURGICI.

2176

mel vero etiam, nempe *fol. 237. p. 2.* aulaeum ejusdem rationis juxta adpensum habeat vix dubium fit, *Galliam* innui.

DCCCCVI.

R. 1269 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 139. 8. eleganter scriptus, et praeter complures auro, coloribusque florulentos margines XIX. Iconibus splendide depictis, quarum XIII. mysteria vitae et mortis Christi, ejusque Matris, reliquae VI. Scuta gentilitia repraesentant, ornatus varia Precandi Exercitia continet, nempe *Cursum de Passione Domini secundum Rubricam Wratislaviensem, Horas canonicas pro laude beatissime virginis Marie, denique septem psalmos penitenciales cum Litanis OO. SS.* Atque ex his Litanis erui posse videtur, in cujus usum Codex hic olim scriptus fuerit, quidque sibi sparsa per illum Scuta gentilitia velint. Invocantur in iis non modo *Wenceslaus, Adalbertus, Sigismundus, Georgius, Procopius et Ludmilla Bohemiae* Indigetes, sed *fol. 136. p. 2.* oratur: *Ut mihi famulo tuo G. sanitatem et victoriam in hoc seculo, et post mortem vitam eternam concedere digneris. Fol. 53. p. 2.* juvenis hic G. habitu et pileo ducali decoratus ante Deiparam genua flectit. Ajo igitur, juvenem hunc esse *Georgium Ducem Olsnensem Henrici Ducis Munsterbergensis, qui Regis Bob. Georgii Cunstadii de Podiebrad*

tertio genitus fuerat, secundo genitum natum 1470. defunctum 1502. Atque hinc facile Scuta gentilitia explicantur. Primum, quod Codicem auspiciatur, in medio Scutulum *Cunstadianum* exhibet argenteum superne ter nigro fasciatum. In Quadro dextro superno et sinistro inferno *Aquila Munsterbergensis* nigro rubroque ad perpendicularum secta, lunula pectorali argentea, in Quadro sinistro superno, et dextro inferno Insigne Comit. *Glaciensis* rubrum fascia bina aurea incurva compareret. Igitur Insignia *Henrici* Patris. Eadem ratione Insignia *Matris Ursulae Brandenburgicae* Codicem terminant, inprimis Scutulum medium argento nigroque quadrifariam sectum *Zolleranum*, dein in Quadro dextro superiore *Aquila rubra Brandenburgica*, in inferiore *Leo niger rubro corohatus Burggraviorum Norimberg.* in utroque sinistro argenteo *Gryphus ruber* ob partem *Pomeraniae*, quae jam tunc *Marchionibus Brandeb.* cefferat. In reliquis Iconibus partim eadem Scuta jam majore, jam minore forma redeunt, partim haec nova visuntur: *Sternbergiorum* Stella aurea in area caerulea, quod *Henrici Ducis Mater Cunegundis Sternbergia* fuit; *Lignicense* rubro, alboque tessellatum fortasse, quod *Fridericus I. Dux Lignic. Ludmillam Henrici* sororem in matrimonio habuit; *Oppaviense* rubro et albo deorsum sectum, quod, ut videtur, *Victorinus Henrici* Frater hunc Principatum aliquam-